

## **Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica**

Ab anno Christi 1400. usque ad annum 1415 - Unacum Dissertatione  
Præliminari Ad Historiam Sæculi XV.

**Fleury, Claude**

**August. Vind. [u.a.], 1767**

**VD18 90118286**

§. 37. Ludovicus hac victoria uti nescius.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-66281](#)

**Sæcul. XV.**

A.C. 1411.

Ducum impedimenta victoribus cesse-  
runt. Milites, Ducesque spolia inter se  
dividentes, in Ladislai aureum atque ar-  
genteum vasarium, quod in mensa ad  
cænæ usum collocatum erat, involant,  
& Regis atque Legati a Gregorio ad  
agmen missi vexilla abripiunt, quæ Joan-  
nes XXIII inverso situ in fronte Basilicæ  
S. Petri exponi, dein in publica supplica-  
tione, cui ipsus interfuit, per lutum ac  
platearum fordes raptari jussit, quaë ta-  
men res sanioris judicii Viris non pa-  
rum displicuit, per hoc enim despiciu-  
mum injurioso devictorum calamitati  
insultabatur.

**§. XXXVII.***Ludovicus hac victoria uti nescius.*

**L**udovicus Andegavensis certe plenam  
laurorum ex hac victoria sibi acre-  
scientium messuisset segetem, si ejus co-  
piæ tanta virtute Ladislaum, quanta a-  
viditate prædam insecuræ fuissent: quin  
etiam nullo negotio bello finem im-  
pouisset Ludovicus, dummodo Regem in  
arce Roccasicca, unde fuga elabi non  
potuisset, mox obsidione cinxisset. Hinc  
Ladislaus Victorum errorem in rem suam  
vertere festinus, animum resumit, atque  
ad oppidum S. Germani, quod fortissi-  
mum

mum est regni castellum haud procul a Sæcul. XV.  
 Roccasica dissipatum, confugit; ibique, dum A. C. 1411,  
 victores castris diripiendis, ac spoliis in-  
 ter se dividendis distraherentur, ipse op-  
 portune exercitus sui reliquias colligit,  
 illos etiam aditus occupat, munitque,  
 per quos Ludovico hosti suo in interiora  
 regni irruenti transeundum esset. Præ-  
 terea nutantem Ladislai fortunam non  
 parum erexit vana Ludovici ostentatio,  
 seu potius sordida suorum avaritia, qua  
 captivis liberam ad oppidum sancti Ger-  
 mani redeundi copiam dabat, ea tamen  
 lege, ut numerato pretio arma sua, &  
 equos redimerent, quod isti, Ladislao  
 pecunias suppeditante, perlubenter ex-  
 solverunt.

### §. XXXVIII.

#### *Inglorius Ludovici in Gallias redditus.*

Ipse Ladislaus fassus est, "si hostes pri- *Summont.*  
 „ ma die inseuti fuissent yictoram, *t. 4. c. 2.*  
 „ tam se, quam regnum in eorum po- *Monach.*  
 „ testate futurum : si postera die, non se, *Sandyon,*  
 „ sed regnum : tertia nec se nec re- *t. 31. c. 22.*  
 „ gnum; quoniam jam adversus vim il-  
 „ lorum remedia adhibuisset.,, Ludo-  
 vicus vero Andegavensis expugnationem  
 locorum, quæ validis præsidii munita  
 noverat, rem longioris moræ existimans,  
 atque pecuniarum & annonæ penuria la-

*Hist. Ecclesiast. Tom. XXV.* U borans,